

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0365
	0363
	0369
	0359
352	0374
civitatis nos pro exhibita humanitate pecunia mulctarent. Itaque cum jam tenebrae essent, posuimus nos dormitum per cellas sicut monachi, et ita quievimus.	0354
Descriptio civitatis Ebron, et ejus antiquissima habitudo.	0414
Hebron, sive Ericus, civitas antiquissima, est condita statim post diluvium, septem annis ante Thanim urbem Aegypti, ut habetur 13. Num. Hanc urbem Thanim condiderunt Titanii, gigantes, qui de Hebron in Aegyptum descenderant, filii Titan. Qui Titan erat Coeli et Vestae filius, frater Saturni, cuius filii cum Jove pugnarunt et conati sunt, deos coelo pellere, sed fulminati fuerunt, ut habetur in Gen., et fere totum orbem inquietarunt, ut poetarum carmina tradunt.	0314
Thanim ergo civitas gigantum antiqua Aegypti aedificata est a gigantibus, descendantibus de Hebron. Haec Hebron quatuor sortita est nomina. Primo dicta est Arbee, Genes. 23. et hoc nomen habet ab Arbee, ejus conditore primo. Secundo dicitur Kariatharbe, Josuae XIV., quod idem est, quam civitas Arbe, vel civitas quatuor, quia Kariath idem est, quod civitas, et Arbe idem, quod quatuor. Et nomen, quod antiquitus Hebron ab omnibus tam infidelibus quam fidelibus dicebatur Cariatharbe, id est, civitas quatuor, sed alia et alia ratione. Infideles sic eam nominabant propter quatuor gigantes ibi sepultos, scilicet Enach, Archinan, Gisai et Tholmai, Numeror. 13. Fideles autem eam ita nominabant propter quatuor patriarchas, Adam, Abraham, Isaac et Jacob, cum quatuor conjugibus ibi sepultos. Tertio dicitur Hebron a quodam filio Caleb sic nominato. Quarto nominatur hodie a Sarracenis Abra propter Abraham ibi sepultum. Et magister in Spec. Histor. nominat eam Abrahamium, sicut Sarra; et saepe dicitur Ericus.	0464
De hac civitate dicit Hieronymus de distantiis locorum, quod olim erat metropolis Philistinorum et habitaculum gigantum regumque in tribu Juda, civitas sacerdotalis et fugitivorum. Distat ad meridianam plagam ab Jerusalem milibus circiter XXII. Haec ille. Hanc civitatem, quoad partem inferiorem, cepit Josua ejusque regem Oham suspendit,	0264
	0864
	Ende
	Anfang